

*senti ei contradixi?* Et annotat B. Lutherus in h. l. Faciem more Scripturæ significare id, quod in manifesto est, & contrarium in abscondito, ut illic homo videat, hic Deus. Imo Apostolus ipse phrasin hanc suam *κατὰ πρόσωπον* paulo post (vers. 14.) per æquipollentem locutionem exponit, quando objurgationis suæ verba referens ait, dixi *ἐμπροσθεν πάντων*, *coram omnibus*, in conspectu totius Ecclesiæ Antiochenæ, ut explicat B. Lutherus in Comment. fol. 35. Cujus etiam locutionis emphasis observata non obscure demonstrat, non simulatam & fictam, sed maxime seriam fuisse increpationem, ut postea pluribus dicetur.

§. IV. Verbum *ἀντιστῆναι* notat *resistere*, *obstistere*, sese opponere, adversari, & quidem juxta illud Herodiani; *ἔξ ἀντιστάσεως καὶ συστάσιν ἀγωνίζεσθαι*. *pede collato certare*: Germani: *Sueß bey Sueß setzen / und streiten / in acie contra aliquem stare & pugnare*, ut observat B. Wellerus Com. in Epist. Rom. cap. 9. v. 19. Paulus, Petrus & Jacobus Apostoli, quando nos ad resistendum Diabolo hortantur hæc voce utuntur, ut Ephes. VI. 13. *Accipite universam armaturam DEI, ut possitis ἀντιστῆναι, resistere in die malo.* 1. Petr. V. 9. *ᾧ* (Diabolo, instar leonis rugientis obambulanti) *ἀντίστητε* *resistite* (Syrus, state contra eum) *firmi fide*. Fides enim hic sit quasi murus Jacobi IV. 7. *ἀντίστητε, resistite Diabolo*. Confer Rom. XIII. 2. *Ἄτορ*. XIII. 8. 2. Tim. III. 8. 2. Tim. III. 8.

§. V. Quarto, *causam ἀντιστάσεως*, sive increpationis in genere indicat his verbis; *ὅτι κατεγνωσμένον ἦν*; Vulgata; *Quia reprehensibilis erat*; Beza; *Eo quod condemnandus esset*. Erasmus *Eo quod reprehensus esset*. Longe aliter Syrus; *Eo quod scandalizarentur aut offenderentur in eo*. Daniel Heinsius h. l. ait; *Qui cor scrutatur aut penetrat, qui dissimulationem, hypocrisim aut errorem detegit*. Hellenisticis *καταγνώσκων* dicitur. Unde *κατάγνωσις*, *simulationis detectio*. Juxta illum itaque *κατεγνωσμένον* est, ejus hypocrisis detegenda, redarguenda, damnanda. Est autem hic participium passivum, phrasî Hebræa, vice nominis positum, pro eo, qui justam reprehensionem meretur; *κατεγνωσμένον* pro *καταγνώσος*. *Frequens enim Hebræis est, imo perpetuum, in-*  
quit

κατον